Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8140
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

pellit. Hoc prefiguravit Iherosolimorum subversio que contigit hoc
modo. Hierusalem visitatio erat Christi incarnatio. Hanc quippe oriens
ex alto visitavit. dum in medio eius regnum celorum predicavit. signis
et miraculis illustravit. Sed ipsa tempus sue visitationis non ag-
novit. dum sic a lege et prophetis premissum deum credere noluit. insuper
dum terrenam gloriam perdere timuit. regem glorie crucifixit. et ideo ce-
lestem gloriam amisit. Ipse autem alas crucis expandit. atque eos
sub umbra alarum misericordie sue congregare voluit. quemadmodum
gallina pullos suos sub alis amiluo protegit. At illi calce
dominum abiecerunt. vocantem audire noluerunt. Manus per eos exten-
dentem dorsa in faciem dederunt. Deus autem paciens et multum mi-
sericors. qui vineam de egypto transplantavit. et eam agricolis loca-
vit. cuius prophetas ipsi ad se missos contumelia affectos spreverunt.
insuper unicum filium suum de vinea eiectum occiderunt. dedit eis
xl. duos annos in penitentiam. quo possent reatus sui con-se-
qui indulgentiam. Ipsi vero tempore gratie abusi sunt. insuper bi-
am et irritaverunt deum iugiter augentes culpam. ideo ira dei
ascendit super eos et disperdidit eos. Postquam enim prophetas et sapientes
scribas ad eos missos a se repulerunt. insuper quosdam flagella-
verunt. quosdam lapidaverunt. quosdam diversis penis interfecerunt. alios
de finibus suis propulerunt. deus ultionum dominus sanguinem eorum requi-
rere est recordatus. venitque super eos ac filios eorum sanguis Christi
omniumque iustorum. quem a sanguine abel effuderunt. usque quo
apostolos Christi occiderunt. Et quia patrem et filium offenderunt. pater Ves-
pasianus et filius Titus hoc vindicaverunt. ac vineam summi
patris familias que in vineam sodomorum converterant. et de qua vi-
num gomorre biberant. exterminavit aper de silva. et sin-
gularis ferus depastus est eam. Silva erat gentilitas. de qua
aper vespasianus exercitum ductitavit. et vineam scilicet iudeam ferus